

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

hisce diebus celebravit, cum Domina Elizebetha, sorore Regis Daniæ, Christiani, quæ prius Magno, Duci Megapol. Henrici filio, nupta fuit.

Dux Johannes Albertus cum uxore circa finem superioris anni profectus est ad focerum, Ducem Prussiæ, ubi audimus à rege Poloniae & aliis nova bella cudi, adversus Ducem Moscorum & Rutenorum, cui mense Octobri superioris anni etiam Sueciæ Rex Gustavus bellum intulit, ducto exercitu 40000. ad fines Finlandiæ.

DEUM oro, ut pacem Ecclesiæ & piis studiis necessariam, Germaniæ tribuat & nos omnes doceat, regat, & servet. De vestræ Ecclesiæ & vicinarum conditione quæso ut ad me perscribas.

Ex vestris literis ad M. Samuelem & ad me scriptis intellexi, missa esse ad vos quædam mea *καρμίσματα* in Evangelion Matthæi. Hæc nunc arbitrio stentque cadantque tuo.

Si ea isthic emendatè excudi voles, nos ducenta exemplaria solvemus. Et spero, Studiosis quibusdam laborem meum non ingratum fore.

Filio tuo Johanni, egregia ad virtutem indole prædico, Libellum de Virtutibus, recens æditum, mitto. Et DEUM oro, ut ipsius studia & mores regat, ut DEO grata, & tibi patri, voluptati & ornamento sint.

Bene & feliciter vale. Rostochii, die 16. Februarii, quo clarissimus vir, D. Philippus Melanthon, sexagesimum suæ ætatis annum ingreditur, in quo ut Deus ipsi corporis & animi vires confirmet, & postea vitam diutissime pro-roget, toto pectore oro.

David Chytræus.

CLXVIII.

(Epistola scripta, anno 62.)

S. D. Reverende & Clarissime Vir.

K^{ἰσθ' ὁ ἰδὸν ἀδελφὸν ἐν ἡμῶν, πῶς τὸν τῶν φίλων φίλοι ἀποβίθου ἔχου.} Longo igitur tempore de tua & Ecclesiæ ac Scholæ vestræ statu certi aliquid cognoscere cupivi: Quem posteaquam ex tuis literis diligenter & prolixè descriptum perspexi, etiam si de perturbatione isthic orta dolebam, tamen quod & tu ex gravissimo morbo recreatus sis, & collegæ tui omnes una cum D. Erythraeo & aliis in Domino sint unum, doceant unum, fateantur & unum, toto pectore lætabar: & Filium DEI oro, ut placidam catastrophem reliquæ tragœdiæ tribuat. In hac ora Baltica & vicinis Regnis Daniæ, Norici, & Gothiæ sum-
mus

mus DEI beneficio in vera de DEO doctrina, à Luthero accepta, consensus est. Bremæ seditionem moverunt sacramentarii Duce uno consule D. Alberti Hardbergii patrono, & à reliquo Senatu recte sentiente, iniquissimas conditiones vi extorserunt. Qua de causa tres consules & 16. Senatores ex urbe in exilium voluntarium discesserunt. Nostræ Academiæ conditionem mediocrem ex adjunctis pagellis cognosces: Quibus etiam libellos Chronologicos adjunxi, quos D. Erythræo & M. Gloccero exhibebis: ac salutem illis reverenter & officiose meis verbis nunciabis. Bene & feliciter vale. Rostochii, 6. Augusti.

David Chytræus.

CLXIX.

(Incertum, quo anno scripta.)

S Multis nominibus beasti me, ornatissime vir, tuis illis, tam eruditis, Christianaque charitate aded plenis, literis. Nam quod meum quaecumque officium candide aded interpretaris & ministerii communionem aded amanter amplecteris, pro eo ac decebat gratissimum mihi fuit, eoque nomine gratias ingentes tibi ago & habeo. Sed & quod de *discessione* inter ministros sopita scribis, tanto majore voluptate accepi, quanto graviore tristitia percussus fui, simulac eam, per quosdam ingenti cum scandalo, & tempore aded iniquo, excitatam inaudieram. Nec qua ratione malum sanaretur, vel cogitare poteram, nisi velut à machina Dominus consilium daret & opem, sic præsertim flagrantibus (ut ferebatur) quorundam studiis. Beneficium ergo Domini agnosco, quo paroxysmus per quam odiosus & periculo plenus in optatam quietem exierit, adedque & occasionem præbuerit, disciplinæ Christi plenius constituendæ, & ad alias quoque propagandæ ecclesias. Sic novit Dominus, mala nostra, ad nominis sui gloriam & Ecclesiarum profectum convertere. Idem rogandus est, ut eam pacem ecclesiæque incolumitatem perpetuam esse velit. Nos hic in alta securitate vivimus, qua utinam non ad licentiam abutamur, sed ut ad Christi jugum & nos paremus, quo eviteretur Antichristi exactoris sceptrum plusquam ferreum. Nam vicinis aded passim oppressis immunitatem polliceri nobis qui possumus, si pari cum aliis ingratitude, contraque verbum obstinatio & impœnitentia DEI pergamus irritare furorem? Atque hoc magis incumbendum nobis est, ne nostro desimus officio, quod hac fatali temporum clade, gravissimum sustinemus omnes. Ex Helvetiorum Comitiis nihil certi accepimus. Scissas esse sententias constat de Fædere Gallico, idque ob eam maxime causam, quod in martyrum sanguinem crudeliter aded grassari Rex per-